



**Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor
Partes Distributæ Pars ...**

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

Approbationes Theologorum Ordinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

APPROBATIONES

Theologorum Ordinis.

QUAE de Virtutibus in Communi, de Theologicis & Cardinalibus, Theologicè & eminenter elaboravit Reverendus Adm. Pater **GUILIELMUS HERINCX** Ordinis Fratrum Minorum Sacrae Theologiae Lector Iubilatus, ac Provinciae Germaniae Inferioris Custos; ea communi Studiorum utilitati, & Theologicae praeceps directioni, omninò prælo subjicienda esse, jure censuimus. Datum Lovanii in Conventu nostro Fratrum Minorum Reg. Observ. die prima Junij Anni 1663.

F. PETRUS DE VRIESE S. Theol. Lector.
F. COSMAS MEERSMANS S. Theol. Lector.

TERTIA hæc pars *Summa Theologica* Reverendi Adm. Patris Fratris **GUILIELMI HERINCX** Ordinis Fratrum Min. Reg. Observ. in Academia Lovanienti Sacrae Theologiae Lectoris Iubilati, nec non Provinciae Germaniae Inferioris Custodis, quæ est de Virtutibus in Communi & in particulari, Doctrinam continet (uti & alia Partes jam publici juris factæ) Fidei Orthodoxæ & bonis moribus consonam; brevi, facili ac dilucida methodo digestam; solidis fundamentis stabilitam; non novitate suspectam, sed antiquitate commendatam & singulari eruditione illustratam: ideoque non tantùm Ordini Seraphico, sed, & cuivis Theologo utilissimam & prælo dignissimam. Ita censuimus Mechliniæ in Conventu nostro Fratrum Min. Reg. Obs. die 2. Junij, An. 1663.

F. IOANNES VAN RIEMEN S. Theol. Lector.
F. GUILIELMUS VAN SICHEN S. Theol. Lector.

QUANTAM Theologis lucem & utilitatem attulerint *Opera Theologica* nimirum *Prima, Secunda, & Quarta Pars Theologiae* Reverendi Patris **GUILIELMI HERINCX** S. Theol. Lectoris Iubilati, & Provinciae nostræ Germaniae Inferioris Custodis Custodum, norunt omnes qui ea legerunt & viderunt, nosque in Scholis nostris experti sumus & fructus eorum suavissimos probavimus omnium intelligentium palatis gratissimos: quia facili & brevi Methodo complectitur magna & multa: probat subtiliter & clarè; propugnat fortiter & suaviter: ubique *Scoti* & communem DD. sententiam adstruens sicq; paulatim tollatur error quorundam existimantium sententias *Scoti* esse particulares & quasi paradoxas cum sint communissima & rationes ejus probatissima. Tertia modo pars à veritatis amatoribus diu desiderata & experta tandem ab Auctore feliciter, dilucidè, planè, & succinè peracta & completa est. Quare dignissimam judicamus ut lucem videat & juris communis fiat, in Ordinis ac totius Ecclesiae utilitatem. Datum Venlonæ in Conventu nostro Fratrum Minorum Reg. collectorum, Anno Domini 1663. die 25. Aprilis.

F. IACOBUS CORDUANIER S. Theol. Lector. Inb.
F. IOANNES DECKERS S. Theol. Lector.

OMNIA

OMNIA quæ in libris de Virtutibus in Communi; de tribus Theologicis in speciali: de quatuor Virtutibus Cardinalibus, de Contractibus: de Religione & aliis Virtutibus Iustitiæ affinibus, à R.^{do} Adm. P.F. GUILIELMO HERINCX S. Theologiae Lectore Iubilato, ac Provinciæ Germaniæ Inferioris Custode Custodum ventilantur, ejusmodi sunt, ut reliquis ejusdem Auctoris Commentationibus consonent ingenio, eruditione, styli suavitate ac dilucidâ brevitate. Quæ in primo libro, Sacræ Scripturæ sensum interpretando, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ definitiones proponendo adducit, rectæ rationi, sacrorum Conciliorum ac Sacræ Scripturæ sensui planè consona sunt, tanto viro, tantâ industriâ, tantoque ingenio digna. In secundo optinâ Methodo; breviter ac nervosè disseritur de quatuor Virtutibus Cardinalibus & cæteris. Quare utrumque publicâ luce dignissimum, tam scholæ Seraphicæ quam universæ Ecclesiæ Catholicæ utilissimum censemus; ut hinc cuiusvis Lectori pariter & Studioso haurire liceat scientiam salutis ad serviendum Deo in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ suæ. Datum Brux. in Cöventu nostro FF. Minorum Reg. Obl. die 23. Junij Anno 1663.

F. HENRICUS VANDEN DYCK S. Theol. Lector.
F. EGIDIUS MORGATIUS S. Theol. Lector.

A P P R O B A T I O

Censoris Ordinarij.

HANC tertiam Partem *Summæ Theologicæ* R.^{di} Adm. P.F. GUILIELMI HERINCX Ord. FF. Minor. &c. Legisse, elegisse est; nam in ea nitent, & placent omnia, argumentum, seu materia, ordo seu methodus, ingenium, eruditio, Clarus cum brevitate stylus; paucis, est Ethica Christiana, cujus dignitas planè divina est, æquè ac necessitatî compar utilitas: docet enim virtutes tam in genere, quàm in specie; & imprimis Fidem, Spem, Charitatem, deinde Prudentiam, Iustitiâ, Fortitudinem, Temperantiam, quibus nihil hominibus in hac vita utilius esse dicitur, *Sapient. 8.* ideoque merito luci dabitur, ut videatur, legatur. Datum Lovanii hâc 30. Maij Anni 1663.

ANTONIUS DAVE S. Theologiæ Doct.
& Professor Regius, nec non Librorum Censor Apostolicus, & Archiepisc. Mechlinien.

A L I A C E N S U R A.

TERTIA pars *Summæ Theologicæ* ab Admodum R. P. F. GUILIELMO HERINCX Ord. FF. Minorum &c. magno cum judicio, ingenio, ac claritate eruditissimè cöscripta, non solum prælo, verùm etiam quorumvis Theologorum oculis dignissima est ob doctrinam, quam continet, solidam, perutilem, sublimem, exactam, quique à præjudiciis liber illam volet legere, non poterit non diligere. Mollæ 9. Junij 1663.

JUDOCUS HOUBRAKEN S. Theol. Lic. Eccles.
Cath. Antwerp. Can. & Episc. Sylvad Vicarius Gen.

** ij

PRIVI-